
Kalich, Carolus
Cantii, Schellingii, Fichtii de filio divino sententiam



CANTII, SCHELLINGII, FICHTII

DE

FILIO DIVINO SENTENTIAM

AD SUMMOS IN FACULTATE PHILOSOPHICA
IMPETRANDOS HONORES

EXPOSUIT NECNON DIJUDICAVIT

CAROLUS KALICH,
DOCTOR PHILOS. ET CAND. THEOL.

LIPSIAE,
SUMPTU FUESIANO (R. REISLAND).
1870.

Christologiam cardinem esse, in quo omnes christianae religionis doctrinae circumferantur, cum philosophi tum theologi concesserunt. Quid igitur mirum, quod in eam potissimum describendam tantum curae necnon sagacitatis est impensum, ut vix omnem ejus materiem molemque animo superare queamus? Sed discrimen summum inter theologorum et philosophorum sententias de Christo prolatas esse inter omnes satis constat. Quum enim illi eum personam historicam esse affirment, hi ideam eundem esse statuunt; quum illi ab rebus factis iisque revelatis progrediantur, hi principia veritatis cognoscendae in humana ratione posita quaerunt. Jam quamdiu theologia et philosophia intra suos quaeque terminos versantur, lis sane inter utramque exoriri nequit; simulatque vero commiscentur et invicem confunduntur, certamen acerrimum quin inde concitetur fieri non potest. Verum enim vero quaeritur, utrum christologia ex ejusmodi fonte derivari queat, qui etiam ab philosophis agnoscatur, necne. Profecto ethicum principium omnibus sufficere posse persuasum habemus. Seu ex divino amore seu ex humana personalitate christologia deducitur, semper habemus illud: δός μοι, ποῦ στῶ. Quam rem Liebnero neminem verius subtiliusque unquam probasse videmus. Sed priusquam improbata philosophorum filii divini idea ejus vestigia sequamur, id potissimum agamus, ut diligenter illam exploratam et refutatam abjiciamus; alioquin contemplatio christiana inde non promoveretur, immo retardaretur. Quin etiam philosophorum sententiis omnino spretis ne ipsi quidem ad veram christianam contemplationem colendam idonei essemus; ex eorum enim libris non solum judicandi acumen augescit, sed etiam contemplandi vis invalescit. Quare

tres recentiores philosophos illustrissimos, qui speciatim de Christi persona scripserunt, describendos et dijudicandos elegimus: Cantium, Schellingium, Fichtium.*) Ad quos unde potissimum deducti simus, reticendum esse nequaquam censemus, praesertim quum inde studia nostra contemplativa non solum magnopere sint sublevata, sed mota et excitata. Valde laetamur, quod Friccio, praeceptori nostro spectatissimo eidemque carissimo, animum gratissimum publice testandi occasio nobis est oblata.

Materiei nostrae aptissime superandae eam ingrediendam viam censuimus, ut primum philosophi ipsius sententias deligenter expromamus, deinde explicemus atque dijudicemus.

Cantius haec fere de Christo disseruit.**) Nihil nisi genus humanum vel omnino ens rationale moraliter perfectum Deum commovere potuit, ut mundum creare secum constitueret. Quare moraliter absolutus homo solus Deo placere et beatus fieri potest. Qui homo ab aeternitate in Deo est; idea enim ejus ab divina essentia prodiit. Quare non est creatus, sed Dei filius unigenitus; verbum, quo omnia sunt creata et sine quo nihil existit, quod factum est (nam propter rationale ens moraliter perfectum omnia sunt facta); gloriam divinam refert; in eo Deus mundum dilexit neque nisi accepta ejus mente quisquam sperare potest, sese liberum Dei esse futurum. Quam ideam perfectionis moralis sequi vel ad formam animi prorsus puri primariam sese tollere nostrum omnium est. Cujus rei assequendae illa ipsa idea vi exornari possumus. Sed quum ejus non simus auctores, immo ipsa animo sit informata nobis insciis, quemadmodum natura humana ejus capax esse potuerit, praestat dicere, formam illam primariam coelitus ad nos descendisse genusque humanum assumsisse; neque enim pariter cogitare possumus, quomodo homo natura malus malo ipse abdicet atque quomodo illa humanitatem per se non malam assumat et ad eam descendat. Quae cum nobis conjunctio status humiliationis filii divini

---

*) Quamvis Fichtii philosophia Schellingianam antecedat, tamen Schellingio alterum locum ideo tribuimus, quod ante Fichtium sententiam de filio divino protulit. Sane Schellingius sub vitae suae finem revelationis inprimis philosophiam excoluit et notionem filii divini denuo perscrutatus est. Sed eam similiter atque Fichtii filii divini doctrinam, quae in ejus reipublicae doctrina philosophica exstat, in aliud tempus describendam distulimus.

**) Religion innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft. 2. Stück, 1. Abschnitt (ed Kirchmanni).

existimari potest. Sed tum illum divina mente praeditum hominem, nobis imitandum, quamvis propter suam sanctitatem nulli dolori sit obnoxius, tamen ad mundi salutem promovendam summos dolores subire cogitari, homines vero singulos, numquam culpae expertes, quamvis eandem mentem assumserint, labores omnes ex ipsorum culpa exortos esse putare, ergo indignos sese habere, quorum cum animo ejusmodi idea conjungatur, oportet. Jam ideam humanitatis Deo acceptae aliter cogitare non possumus quam sub idea hominis, qui non solum omnibus officiis humanis optime fungi et doctrina et exemplo bonum quam maxime propagare, sed etiam summis quibusque illecebris tentatus omnes labores usque ad mortem turpissimam propter mundi et ipsorum inimicorum salutem ferre sit paratus. Neque enim gradum nec vim virtutis ejusmodi, qualis est animus moralis, comprehendere unquam poterimus, nisi eam cum difficultatibus certare easque superare cogitaverimus. Si quis in hunc filium divinum (quatenus ab eo humanam naturam assumtam esse cogitamus) profecto crediderit, i. e. si quis ejusmodi mentis moralis sibi fuerit conscius, ut confidere possit, se similiter tentatum et vexatum cum eo speciem humani generis semper esse secuturum, solus eum sese habere poterit, qui Deo placere queat.

Atque idea moraliter perfecti hominis ad usum revocata profecto per se valet et certa est; in ratione enim legem moralem ferente consedit. Respondere ei debemus, quare necesse est, id possimus. Quam facultatem si demostrari oporteret, tum eodem jure dubitandum esset, utrum legi morali ea auctoritas conveniret necne, ut simplex et tamen sufficiens causa esset, quo arbitrium nostrum impelleretur; nam qui fieri possit, ut idea sola formae legalis fortius ad hanc implendam impellamur quam omnibus aliunde haustis causis, nec ratione intelligi neque exemplis ex vita depromptis firmari postest. Lege enim simpliciter jubemur ei ipsi convenienter vivere. Etiamsi numquam fuisset, qui ei simpliciter obtemperaret, tamen necessarium esset, ut unusquisque eam impleret. Quare exemplo e vita repetito non est opus, ut ideam hominis Deo accepti imitandam nobis proponamus; ipsa enim exempli instar jam in ratione nostra posita est. Si quis vero, ut exemplum, ideae illi congruum, imitandum inveniat, praeter vitae rationem prorsus integram et omni laude dignam miracula perpetrata flagitaverit, simul moralem suam incredulitatem profitebitur, i. e. defectum fidei in virtutem solam, quae miraculis firmata fide numquam potest restitui: fides enim sola in auctoritatem illius ideae ad vitae usum per-

tinentem habita moralis est pretii. Tantum si res ita ferat, miracula a potestate bona profecta per illam ideam probantur, neque vero unquam haec illinc firmari potest. Sed indidem necesse est, fieri possit, ut exemplum ejusmodi hominis reperiatur, quoad omnino e vita cujusdam mens moralis cognosci potest; nam secundum legem unusquisque homo exemplum hujus ideae praebere debet. Sed species ejus primaria semper in sola ratione nostra quaerenda est, quia illam exemplum nullum e vita depromptum adaequat; unde tantum abest, ut animi profunda recludantur, ut contra ne cum certitudine quidem concludantur. Quin etiam nemo sui ipsius cordis profunda ita perspicit, ut vitae suae rationem ejusque puritatem et firmitatem suimetipsius observatione penitus cognoscere queat. Etiamsi vero homo divina mente impletus tempore quodam tanquam coelitus in terram descendisset, qui doctrina et vita et perpessionibus exemplum hominis Deo accepti per se praeberet indeque ingens bonum morale, genere humano radicitus mutato, in mundo efficeret, tamen non esset, cur aliud quid eum esse statueremus quam hominem naturaliter procreatum; nam is quoque ideae morali respondendum sibi essse censet, quamvis omnino negari nequeat, eum supranaturaliter genitum esse posse. Sed id ad eum imitandum nihil refert, quia forma primaria ei a nobis supposita semper in nobis (licet hominibus naturalibus) ipsis quaerenda est neque ejus in animo humano praesentia per se explicari potest. Quapropter non est opus, praeter originem absconditam singularem ejus humanam subsistentiam sumere. Immo si sanctus ejusmodi homo super omnem humanae naturae fragilitatem eveheretur, impediremur, quominus eo uteremur exemplo imitando. Etiamsi enim hominis Deo accepti natura eatenus humana intelligeretur, ut iisdem desideriis et miseriis, iisdem inclinationibus et tentationibus nobiscum afficeretur, sed hactenus genus humanum evaderet, ut non propter partam, sed innatam voluntatis puritatem immutabilem legem observaret: tamen tantopere ab homine naturali discederet, ut huic exemplum imitandun non posset proponi. Is enim diceret: tribuite mihi sanctam voluntatem, tum omnis mali tentatio per se infringetur; exornate me ea certitudine, me post brevem vitam terrestrem ob illam sanctitatem ad aeternam gloriam esse abiturum, tum omnes dolores gravissimos usque ad mortem turpissimam non solum libens, sed etiam laetus subibo, quippe qui magnificum et propinquum finem intuear. Sane si deliberaverimus, illum hominem divinum semper hac majestate et beatitudine usum esse aerumnis non paranda atque

ea pro indignis, quin etiam pro hostibus libenter se evacuasse, ut eos ab aeterna pernicie servaret, admiratio nostra valde moveretur necnon amor animusque gratus excitaretur. Pariter ,idea ejus vitae moralis commoveremur, ut eam sequeremur, neque vero ipse exemplum imitandum nobis proponi posset, quum inde non sequeretur, ut eum aequaremus. Idem divina mente praeditus, sed proprie humanus praeceptor jure profecto asserere posset, exemplar boni sese ipsum esse; ipse enim tum de ea mente loqueretur, quam normam agendi sibi fecisset; quam quum exemplum sane aliis, non sibi ipsi manifestare posset, doctrinis solis et rebus gestis patefaceret (quis vestrum peccati me coarguat?). Sed aequum est exemplum irreprehensibile magistri eorum, quae docet, animo ejus purissimo ascribere, nisi contrarium fuerit probatum. Talis animus in ideam humanitatis translatus pro omnibus hominibus semper coram suprema justitia valebit, siquidem homo suam mentem, ut par est, illi similem reddiderit. Sane semper ejusmodi justitia aliena nobis erit, quippe quum nostram justitiam in vita illi menti convenienter transacta consistere oporteat. Verum enim vero fieri possit necesse est, ut illa justitia propter hanc cum mente speciei primariae consociatam applicetur, licet eam intelligere perdifficile sit.

Haec ad Cantii doctrinam de filio divino describendam sufficiant. Sane nonnulli alii etiam exstant loci, quibus quid de eo sentiat profert, sed omnes ejusmodi nobis videntur esse, ut nihil novi porrigant. Quare in explananda dijudicandave doctrina erunt commemorandi.

Primum erit indagandum, quemadmodum in eo libro, quo sententia illa de Christo exstat, haec cum ceteris ibi prolatis sententiis cohaereat.

Nisi homo liber esset, nihil ab eo perpetratum imputari ei posset neque ipse moraliter bonus malusve vocari. Fons igitur omnium ejus facinorum liberum est arbitrium. Iam homo natura ad malum propensus vel natura malus est, i. e. nullum temporis spatium invenitur, quo malum in agendi suam rationem receperit vel origo illius propensionis non est sensibilis, immo intelligibilis. Neque vero eadem propensio ad notionem generis humani est referenda; alioquin necessaria et innata, neque vero parta neque ex libertate humana profecta esset neque moralis dici posset. Sed quamvis natura simus mali, tamen legis moralis nobis sumus conscii atque ad nos corrigendos eadem lege impellimur. Quod fieri non posset, nisi bona indole praediti essemus; quae sane obrui et perverti, sed evanescere numquam potuit. Eandem

semper adesse ex humana legis moralis reverentia apparet. Iam si sola ratione ageremur, tum legis reverentiam in agendi rationem plane reciperemus. Sed simul sensibili natura indequè inclinationibus et cupiditatibus affecti sumus. Quamris per se ratione omnes cupiditates superari queant, tamen vationem cupiditatibus victam esse constat. Cujus rei causa sane explorari nequit. Sed quum semper lege morali excitemur, ut ipsam sequamur, necessarium est, ut ei obedire possimus. Qui progressus ad bonum sane non magis explicari potest quam propensio ad malum. Apparet vero indolem bonam non posse restitui nisi mente prorsus commutata (cf. primam libri antea laudati partem). Quae mentis commutatio non fit nisi pugna acerrima inter bonum et malum principium suborta. Ejusmodi pugna non extra hominem, sed in homine decernitur atque certamen est inter virtutem et humanam malitiam, inter regnum lucis et tenebrarum; utrumque enim imperium hominis affectat sibique vindicat. (cf. alteram l. c. partem.) Victoriam vero principium bonum regno divino condito reportat. (cf. tertiam ejusdem libri p.)

Quin Cantii interfuerit, ut quemadmodum moralitas humana efficeretur ostenderet, dubitari non potest; sed moralem perfectionem nos non quavis ratione consequi eum non fugit; immo arctissime eam cum divino cultu vel religione cohaerere persuasum habuit. Quaerendum igitur ante omnia erit, quae ratio ei inter religionem et conditionem moralem intercedere visa sit.

Moralem Cantius statum eum esse censet, quo quis sola legis reverentia commoveatur, ut eam impleat, neque vero numinis supremi auctoritate indigeat ad officia sua exsequenda. Quare si nihilominus cum moralitate humana religionem quodammodo cohaerere sumsit, apparet eam illi adjungi non potuisse nisi additamenti instar. Sedes vero utriusque ratio humana ei videtur esse; inde enim legibus sese obstrictum unumquemque censere et ideam summi boni vel Dei profluere statuit. Iam quum ratio facultas idearum sit, quaeritur, quae necessitudio inter religionem manifestatam et rationalem intercedat; nam sine ideis ne revelata quidem religio cogitari potest. Quid mirum, si in religione revelata illam tanquam nucleum subesse atque duntaxat arctioribus hac terminis circumscribi contendit? Quare fieri potest, ut utraque inter se consentiat. Quem consensum, quin Cantius efficere studuerit, non est dubium. Sed religionem ejusmodi exhibet, quae nemini sufficere queat, nec theologo, — nam omnes fidei res in ideas morales dissolvuntur — nec philo-

sopho — nam fines solius rationis longe superantur. Unde apparet non multitudine rerum credendarum utramque inter se distare, sed genere et materie ipsa. Quare etiam illud vanum est, religionem non re. sed forma ab conditione morali differre*). Per se vero indidem Cantii religionis notio patet, praesertim quum moralitatem e ratione hausta Dei idea augeri affirmet. Sed exquiramus, quomodo idea Dei e ratione deducatur. Dijudicata pura ratione Cantius negavit deum inde cognosci posse, quamvis indidem omnino eum esse negare non sit ausus. Practica demum perpensa ratione deum esse ex dissensu inter vitae dignitatem et fortunam probavit. Vitae igitur iniquitates difficultatesque neque perspici nec solvi posse nisi assumta numinis supremi existentia concessit. Sed profecto eam philosophando non invenisset, nisi aliunde animo informatam habuisset; experientia enim doctus ad eam sese sustulit. Quare inter virtutem et felicitatem discrepantia negata vel rejecta et ipsa e Cantii philosophia removebitur. Nisi igitur in aliis quam philosophiae fundamentis posita esset, eam jam dudum e mundo evanituram fuisse manifestum est; nullum enim e ratione sola depromptum argumentum pro ea exstat. Iam si Cantius denuo eam e moralitate humana derivat (cf. praefationem priorem libelli de religione rationali conscriptum), sibi ipsi argumentum in critica rationis practicae prolatum non sufficere profitetur; alioquin ad idem provocasset neque vero paullisper immutasset. Quum homo lege morali tantum cognoscat, quid ipsi sit faciundum, fieri non potest. quin, priusquam ad rem quandam perpetrandam sese ipse destinet, respiciat, quo sibi sit agendum. Quapropter idea summi boni vel convenientiae virtutis cum beatitudine statuenda ei videtur esse. Quum Cantius antea e morali sua doctrina omnia bona excluderet. jam summum bonum tanquam consequentiam in statum moralem revocavit; quum antea omnem felicitatem removeret. jam sine ea fieri non posse demonstravit, ut quisquam legem moralem sequeretur (cf. praefationem modo laudatam). Ratio igitur quaedam inter moralitatem et religionem intercedit. i. e. illa ad hanc traducimur; illa fundamentum est, haec consequentia; moralitate enim ad ideam legislatoris moralis evehimur, qui eundem finem sequatur, quem homo, nempe summum bonum. Status igitur virtutis vel moralis perfectionis jam nexus est cum felicitatis studio non solum in humana voluntate, sed etiam in supremi numinis decreto. Unde

*) Streit der Facultäten 1798, p. 45.

factum est, ut nucleus totius de filio divino doctrinae perfectio moralis sit, quacum beatitudo consequentiae instar est conjuncta. Quam sententiam secutus Cantius sane contendere potuit humanitate moraliter absoluta deum eo esse deductum, ut mundum crearet. Per se intelligitur causam mundi creati simul ejusdem esse finem; idea enim moralis perfectionis humanae ductus mundum deus creare secum constituit. Profecto miramur, quod philosophus finem mundi creati ad solius generis humani perfectionem moralem rovocat; sed commemorato ente rationali attigit sane quaestionem perdifficilem atque indicavit, fieri posse, ut hominis perfectio moralis fortasse non solus sit mundi finis. Ante omnia vero perscrutandum nobis videtur esse, quaenam sit moralis perfectio. Ipse eam in eo versari dicit, quod voluntas legi morali simpliciter obediat (cf. notam I. praef. prioris). Simpliciter is eam sequitur, qui propter ejus formam universalem ei sese obstrictum esse censet (causa objectiva) et omni genere inclinationum superato sola legis verecundia ei obsequitur (causa subjectiva). Suimetipsius studium Cantius profecto e moralitate remotum voluit: sed si universali legis forma impellimur ad bene agendum, tum quamvis singulorum emolumentum sit rejectum, salus et commodum omnium facillime in conditionem moralem subrepit*); unde nulla moralis perfectio profluit. Principium igitur Cantii morale non sufficit. Praeterea moralitas ipsa omni materie caret, quia causae materialis plane expers est. Si Cantius ostendisset, non sola legis forma universali studium eam sequendi excitari, sed pretio agendorum necnon boni amore, tum moralem statum certa quadam re implevisset. Sed finis mundi creati Cantianus non solum per se est impurus, sed propterea quoque non sufficit, quod moralem solam perfectionem exposcit neglectis veri necnon pulchri finibus. Deinde hominum sane finis indicatur, neque vero ceterarum creaturarum vel rerum finitarum. Quin etiam ne progressus quidem generis humani respicitur neque ostenditur. Sane quemadmodum singuli homines, qui ideam moralis perfectionis sequantur, deo accepti fiant docet, sed utrum totum genus humanum promoveatur necne, qua ratione procedat, utrum omnino finem propositum consequi possit necne, non liquet; si enim singuli numquam ad totam moralem perfectionem perveniunt, tum ne genus humanum quidem eandem unquam assequi potest. Sed fortasse

*) Grundlegung d. Metaphysik der Sitten p. 47 (ed. Kirchm.).

nobis quis objecerit, Cantium profecto discrimen inter genus et speciem humanam fecisse neque tam de singulorum morali perfectione egisse quam totius generis humani eandemque finem mundi designasse. Sane saepissime de humanitatis morali perfectione loquitur, sed simul de homine Deo accepto vel filio divino et de singulis hominibus, qui hunc imitantur. Primum quaeramus, quae ratio inter humanitatem moraliter perfectam et hominem Deo acceptum intercedat. Paul*) Cantium reprehendit, quod ideam et personam hominis, genus humanum et singularem hominem inter se commiscuerit. Sed false hoc; nam homo Deo acceptus secundum Cantium non est persona singularis neque omnino species quaedam humana, immo humanitas sub specie personae cogitata vel filius divinus, qui nihil est nisi species primaria moralis perfectionis humanae proprie in Deo quaerenda. Simulatque Cantius de singulis quibusque hominibus veris cogitat, aut breviter hominem commemorat (homo natura malus vel numquam culpae expers) aut plurali numero „nos" utitur (nostrum omnium est, ad ideam moralis perfectionis nos tollere). Jam difficile est intellectu, quamnam vim et notionem Cantii humanitas (genus humanum) habeat. Atqui ea aut e singulis iisque omnibus constat hominibus (genus humanum reale) aut ad notionem seu ideam hominum est referenda (genus humanum ideale). Humanitatem e singulis omnibus hominibus compositam Cantius perfecto innuere non potuit propterea, quod ejusmodi sententia ab ejus philosophandi genere plane abhorret atque ipse alias humanitatem mali immunem esse censet, quum singuli quique homines natura sint mali (species summa sanctitatis humanitatem perse non malam assumit, neque vero natura malus homo sese ad eam tollit). Quare de conceptu et essentia hominis vel intelligibili ejus natura (ad quam malum ideo non pertinet, quod est partum libertate humana, non necessitate quadam impositum) cogitavit. Quae humanitas et in omnibus et in singulis tota est (cf. Scoti Erigenae de div. nat. V, 31). Cum eâdem forma moralis perfectionis summa consociatur; quare quum unusquisque humanitatis sit particeps, hujus quoque ideae fit compos. Quoad igitur moralis perfectionis ideae subfuerimus, ipsi Deo placebimus. Sed quo totum genus humanum tendat, inde non est apertum. Multae igitur quaestiones exstant, quae Cantii doctrina de humana morali perfectione tanquam mundi creati divino fine non solvantur.

*) Kant's Lehre vom Ideal-Christus 1869 p. 31 ss.

Jam in Cantii hominem moraliter perfectum et Deo acceptum altius inquiramus.

Triplex Cantii homo Deo acceptus videtur esse: a) is, qui ideae instar in numine divino inest; b) is, qui exemplaris instar humanae rationi informatus est; c) is, in quem singuli accepta ejus mente transeunt. Ille primus aeternus est Dei filius, effigies divinae gloriae, medium mundi creationis, causa divini amoris mundi. Dubium sane esse nequit, unde Cantius ea, quae ideae moralis perfectionis divinae tribuat, hauserit. Omnia sacrum codicem necnon ecclesiae doctrinam de Christo redolent. Atque quum saepissime aut verba aut sententiae sacrae scripturae allegentur, profecto quispiam haud inepte sese facturum esse existimaverit, ante omnia, quae ratio inter Cantii usum bibliorum eorundemque mentem historicam seu veram intercedat, exquirere. Sed quum ipse diserte moneat, se quamvis consensum scripturae cum ratione humana probare nostrum omnium sit, tamen concedere alios aliam scripturae mentem exprimere posse neque omnino se interpretatoris provinciam subire velle, quippe quae terminos solius rationis excedat, immo se moralem codicis sacri mentem solam quaerere (cf. notas p. 48, p. 98 edit. Kirchmanni), supervacaneum videtur esse de discrimine Cantiani et veri scripturae intellectus disceptare. Tantummodo si officio nos obstrictos esse censet, e sacris scriptoribus eam mentem eruere, quae cum ratione nostra congruat, resistendum ei esse putamus; neque enim unquam, nisi forte scriptor ipse tale quid innuerit, res gestas in ideas quasdam solvere nostrum erit. Praeterea si Cantius suum scripturae usum sententia illa Christi probare studet: qui non est contra nos, is pro nobis est, apparet eam ad interpretandi codicis sacri methodum revocari non posse. Neque nostrum esse censemus Cantium ex ecclesiae doctrina impugnare; quid enim prodest eminus armis uti, nisi cominus cum eo pugnare ausis?

Proprie nos ad mentem prorsus moralem evehi oportet, sed quum ejus non simus auctores, immo eam rationi nostrae tanquam ideam infixam inveniamus nescientes, quomodo nobiscum conjungi potuerit, coelitus eam ad nos descendisse asserimus atque pro nobis multa perpessam esse. Cui ideae respondere debemus; impellimur enim inde ad vitam funditus mutandam. Sed num hoc possumus? Cantius sane nos ideae moralis perfectionis convenienter agere posse affirmat. Atque ejus facultatis tam saepe mentionem facit, ut inde colligere fas sit, ejus summopere interessse, ut ipsius sententiam nemo infringere conetur. Eam igitur non rejiciemus nisi diligenter

ponderatam. Quum e nobis ipsis non sit exorta, sed divinitus instillata, ei profecto congruere non poterimus, nisi vires nostrae simul auctae vel potius renovatae erunt. Quamvis Cantius affirmaret vi et potastate ejus rei assequendae idea ipsa nos exornari posse, tamen utrum id profecto fiat, numquam contendere ausus est; immo alias semper exposcit, ut ipsi ideam moralis perfectionis sequi queamus; verumtamen quomodo id fieri possit, se non posse demonstrare confitetur. Multa igitur aenigmata secundum Cantium nobis obvia fiunt: propensio humani generis ad malum; restitutio ejusdem in integrum; capacitas humana ideae perfectionis moralis; legis moralis simplex auctoritas. Sed cur Cantius tam acriter defendit, nos ideam boni sequi posse? Num temere id fecit? Immo persuasum habuit, libertate nos frui neque quidquam moralis esse pretii, nisi quod ex libertate nostra profectum esset. Praestitisset, si Cantius altius in libertatis et mali vel peccati humani naturam inquisivisset, tum lapsum intelligibilem inanem et ficticium esse cognovisset — quemadmodum enim id, cujus nobis non fuimus conscii, quod mutare, quum fieret, ergo non potuimus, in libertate humana originem habeat, nescimus —; tum sane mali in nos vi et impetu perspectis libertatem nostram offensam et infractam reperisset; nemo enim, postquam pravi quid commisit, viribus integris etiam utitur. Quid igitur mirum, quod quamvis nos posse cum idea moralis perfectionis concinere statueret, quemquam eo pervenire negavit? In mentem nostram sane illam asciscere possumus; sed vita nostra semper erit defecta; quin etiam concessit exemplum hominis absoluti investigari posse, quamvis ejus mentem nobis non esse perspicuam moneret. Purissima igitur mens sola sub specie moralis perfectionis cogitata, si nostram ei mentem similem reddiderimus, coram supremo judice valebit. Sane Cantius difficultates inde exortas non ignorabat; nam quum vita nostra semper sit defecta, numquam sumus, quod debemus; quomodo igitur justi haberi possumus? Sane semper fortasse in vita morali proficimus, neque vero unquam ad finem propositum pervenimus. Videmus Cantium eam viam non invenisse, qua vita conjungatur cum ipsius fine. Quid igitur est posse magnopere laudatum, nisi ei respondet esse? Divino demum auxilio humano defectui subveniri potest. Sed si singuli homines numquam sunt perfecti, nescimus, quando totum genus humanum absolvatur; quemadmodum singulorum progressus est infinitus, sic etiam totius generis historia infinita est censenda; nisi forte deus ipse intervenerit.

Inde ad dissensum inter Christum ideae et historiae deducimur.

Cantii philosophia ita comparata est, ut inter intelligibilia (νοούμενα) et sensibilia (φαινόμενα) discernatur. Unde sequitur, ut quid res per se sint, cognoscere nequeamus, sed tantum sciamus, quales nobis appareant. Jam aeternus Dei filius nondum est nisi in divina idea; non fuit tempore quodam, sed finis est mundi ejusque causa. Attamen non est commentum philosophorum nec theologorum neque remotus ab humano genere nescio ubi existit, immo profecto inest in animo humano instar exemplaris imitandi; non exortus est humanitus, sed divinitus nobiscum conjunctus est. Quam de filio divino sententiam Cantius e sola ratione non repetiit, immo filium dei christanorum ornatu privasse et ideae suae videtur eum adaptasse. Sed quid? Si idea illa omnibus subest hominibus, tum sane in singulari persona sola apparere nequit, immo filius divinus Panchristus est. Quid igitur censendum est de theologorum necnon sacris codicis sententia? Sane fieri potest, ut quis moralem perfectionem repraesentet; sed id propter humanae cognitionis imbecillitatem perspici nequit; namquum, quales res per se sint, nos lateat, ne ipsorum quidem cor, nedum aliorum, cognitum habemus. Num igitur recte judicarunt, qui Cantium negare contenderent, ideam moralis perfectionis in singulari persona apparere posse? Immo hoc concessit, negavit tantum id nobis esse conspicuum. Quum vero humanitatem moraliter absolutam ab initio filium divinum esse statueret, in singulari persona acquiescere non potuit; nam tum omnes ceteri nondum essent perfecti. Sed num Cantius notionem suam filii divini probavit? Immo sumsit. Quin etiam in animo humano repertam in Deum videtur transtulisse*). Verum enim vero quum fieri possit, ut quis ideam illam adaequet, quid de ejusmodi homine statuendum videatur esse quaeritur. Non dignitate quadam innata, sed parta inter omnes exelleret; nam faceret, quod omnibus esset praestandum. Specie igitur et gradu ab aliis discederet, genere neutiquam ab iis distaret, vel generi humano individui instar subesset. Originem suam non divinitus, sed humanitus haberet; haud secus quam omnes homines exortus esset; miracula non perpetraret; immo vitam puram et integram exhiberet; praecepta ejus essent implenda, vita sectanda; nec redemptor nec reconciliator hominum, sed solius virtutis repraesentator esset atque exemplum imitandum. Jam manifestum est, quanam in re omnis vis Cantii hominis prorsus perfecti versetur; nempe in morali ejus perfectione aliis imi-

*) Martensen de autonomia concientiae sui humanae § 18.

tanda. Sane si solo exemplo virtutis opus est, tum Cantii doctrina sufficit atque digna est, quae propter moralem severitatem magnopere laudetur. Atque ad eam sententiam plane perspiciendam in memoriam nobis revocanda videtur esse ejus origo. Ideam moralis perfectionis Cantius animo humano adstrictam esse cognovit. Quam quum ex eo ipso exortam non esse censeret, divinitus eam nobis informatam esse statuit. Sed si sibi constitisset, tum eandem ideam humanam boni indolem numquam amissibilem recognovisset (cf. priorem libri laudati partem, qua C. de malo principio agit). Sed ne omnem theologiam e philosophia sua removeret, originem illius ideae in Deum transtulit eique nomen filii divini tribuit. Per se intelligitur, talem ideam in singulari homine consummari non posse; proprie enim in sola ratione humana realitatem objectivam habet (cf. p. 70 edit. Kirchm.). Jam quum propter libertatem et autonomiam humanam ideae illi homo respondere queat, requiritur, ut quod omnes facere par sit, unus certe praestet. Atque ejusmodi homo Cantio Christus religionis christianae sine dubio esse visus est (cf. 91—105 ed. K.). Quapropter quae in bibliis de eo exstant, humano judicio communi tantum accommodata sunt censenda (p. 79) neque inde quidquam cognitionis haurire possumus, nisi res ibi narratas, „involucro mystico“ liberaverimus. Sic exempli gratia immaculata ejus conceptio nihil aliud quam ejus pesccati immunitatem significat. Principium vero bonum seu idea moralis perfectionis non in Jesu Nazareno solo apparuit, sed ab initio generis humani coelitus descendit; nimirum quod semper idea moralis perfectionis in animo humano reperta est. Sane Cantius sententiam suam de Christo passim paulisper mitigavit; neque enim omnino negare audet, hominem moraliter perfectum divinitus esse genitum (p. 72), sed statim monet, nihil referre, utrum id statuamus necne, quum ejusmodi homo non etiam exemplum imitandum esse possit. Similiter fieri posse concedit, ut ejus in terram adventus et discessus, vita et passio miracula sint; quin etiam historia, qua eadem miracula firmentur, ipsa sit supernaturalis revelatio, dummodone haec agnitio pro divinae complacentiae genetrice sumatur. Quae Cantius concedere non potuisset, nisi aut ecclesiae sententiis parcere studuisset aut ipse nescio quomodo eximia Christi dignitate prorsus esset superatus. Sed quid? Si Christus solus moraliter fuisset absolutus, tum sane adeo ab omnibus differret, ut toto coelo genus humanum excederet. Sed quaeritur, utrum moralem perfectionem profecto repraesentarit necne. Unde factum esse censes, ut Christus solus

existimaretur id consecutus esse, quod omnibus sit impetrandum? Cantianus quidam responderet, alios in eum transtulisse, quod proprie ideae instar ipsorum animis esset infixum. Sed tum iidem eum longe superassent. Sin ipse de se cogitasset atque nuntiasset, quae de ipso non valerent, tum aut superbiisset aut errasset. Restat, ut ipsius mens et vita ejusmodi fuerit, ut non solum ipse, sed etiam ii, qui cum eo essent, persuasum habere possent, in ipso majus et altius quid habitasse, quam quod in omnibus aliis inesse posset. Quomodo id ipsum sit accipiendum, theologiae est probare; philosophiae enim videtur esse inaccessum. Brevissime Cantius suam de filio divino doctrinam protulit, quum ait*): Nisi θεάνθρωπος aeterna dei humanitatis moraliter perfectae idea sumitur, immo divinitatem in homine vero corporis instar habitasse cogitatur, ad usum vitae inde nihil emolumenti profluit, quum fieri nequeat, ut deum aemulemur, neque intelligimus, cur non, si semel deus cum hominibus conjungi possit, cum omnibus sese consociaverit, ut omnes ei placerent. Indidem apparet, Cantium historiam et finem humani generis plane neglexisse; alioquin arbitrarium quid Deo tribuere cunctatus esset.

Cantius igitur quum ideam moralis perfectionis humanae filium divinum appellaret, Christum tanquam hominem singularem, quamvis eum moraliter perfectum fuisse concederet, tamen repraesentatorem solum illius ideae esse negavit, non quod vita ejus perfectionem moralem non aequasset, sed quod idea illa ab omnibus est assequenda, ergo in uno subsistere nequit.

Si memineris, ab Cantio omnes fidei christianae res in ideas morales esse mutatas indeque ejus doctrinam de filio divino esse exortam, statim cur Schellingius**) Cantii interpretandi rationem rejecerit, perspicies. Nemo enim, inquit, vim contemplativam praestantissimarum theologiae sententiarum cum Cantiana interpretatione commiscebit, quippe quae id potissimum agit, ut res historicas e religione christiana prorsus ejiciat atque religionem rationalem inde eliciat. Immo vera rationalis religio in eo spectatur, quod duplicem duntaxat religionis formam esse cognoscitur, nempe veram naturae religionem, quae multos deos esse statuat et religionem plane moralem, quae deum in historia quaerat et contempletur. Cantius profecto non contemplativam, sed moralem mentem doctrina-

---

*) Streit der Facultäten 1798, p. 50 s.

**) Vorlesungen über die Methode des academ. Studiums 1803 p. 196 s.

rum illarum efficere studuit. Inde factum est, ut experientiae conditio non relinqueretur, neque ejus veritas per se, immo tantum ad singulorum causas moraliter agendi relata, assisceretur. Dogmatica enim methodus tum philosophiae tum theologiae in eo consistit, quod ea, quae contemplando solum cognosci possunt, ad experientiam rationalem revocantur. Cantius neutrum radicitus evellit, quia nihil habuit, quod ei substitueret. Inprimis scripturam moraliter interpretari nihil est nisi abusus neque inde vera christianae religionis natura efficitur. Non moralem igitur illius mentem, sed contemplativam esse quaerendam Schellingius docet. Quaenam haec sit, jam audiamus.*)

In christiana religione universum historiae vel regni moralis locum obtinet (p. 170). Quum antea infinitum in finito quaereretur eique subjiceretur, jam finitum infinito superatur. Sed id ipsum, in quo ideae ejusmodi religionis profecto apparent, infinitum neque ullis terminis determinatum est. Sane ejus species non manent, sed transeunt (171); attamen quovis temporis momento certa Dei pars manifestatur, in quarum unaquaque ipse est absolutus (172). Antea divinum in natura sese revelavit, jam in sola historia est apertum velamine illo abjecto (173). Antea infinitum in finito esse credebatur; novum quid inde solum effici potuit, quod verum infinitum venit in finitum, non ut id divinum redderetur, immo ut Deo sacrificaretur et inde placaretur. Prima igitur christianae religionis idea necesse est theanthropus sit, i. e. Christus tanquam finis deorum veterum. Quin etiam ipse divinum finitum effecit, humili humana natura indutus atque ab initio quidem decretus, sed tempore caducus. Quum ipse in invisibilia discedat, vicibus ejus spiritus fungitur, unde finitum ad infinitum reducatur (180 s.). Cardo nimirum religionis christianae in trinitatis idea vertitur. Quae ad historiam mundi revocata significat, aeternum ex essentia patris omnium rerum genitum filium divinum finitum ipsum esse, quale in contemplatione divina subest. Id finitum vero tanquam deus patiens temporis iniquitatibus subjectus apparet. Qui deus in culmine adventus sui, i. e. in Christo regnum finiti abrogat et infiniti vel spiritus imperium in augurat. Si igitur historicam christianae religionis mentem respexeris, eandem necessariam et absolutam manifestationem divinam intelliges. Sed maxime dolendum est, quod theologi eandem

*) 9. u. 10. Vorlesung über die Methode des acad. Studiums.

certo temporis spatio factam esse contendunt; inde enim veram ejus mentem ab iis non esse perceptam patet. Quos si secutus eris, christ. rel. originem non esse absconditam apparebit; exorta enim est cum ex Judaeorum religione tum ex Essaeorum societate. Christus tanquam individuum plane perspicitur; quare necessarium fuit, ut altior auctoritas ei tribueretur. Quod theologi negligunt, si cum ideam trinitatis contemplando non percipiunt tum deum certo temporis momento humanam naturam induisse asserunt. Sed id prorsus cogitari nequit, quia deus semper temporis est expers. Immo Deus homo non fit nisi ab aeterno; cujus rei homo Christus tum acumen tum initium est; nam abhinc ita erat continuanda, ut omnes Christi sectatores membra unius ejusdemque corporis essent, cujus ipse esset caput. In eo deum primum vere apparuisse historia firmatur; nam quis ante eum infinitum similiter aperuit? Sed vaticinium religionis christianae jam longe antea reperitur; unde ipsa non superflua, sed necessaria est censenda. Qui vero ab christianis ad Indos convertendos mittebantur, novum et inauditum quid iis sese annunciare exitimabant, confessi Deum ipsorum hominem esse factum. Quam sententiam illi neque mirabantur neque impugnabant, quum ipsi persuasum haberent, quod apud christianos semel esset factum, idem apud ipsos saepius fieri. Suam eos religionem magis perspectam habuisse quam christianorum legatos nemo infitiabitur.

Cantii de filio divino sententia ideo potissimum nobis non sufficere videbatur, quod admodum particularis est, i. e. quod solam moralem humanitatis perfectionem spectat neque progressum nec finem generis humani satis respicit neque ad omnes res creatas pertinet. Jam Schellingii statum universalem mirabundi suspicimus atque laetamur, quod non solum progressum et historiam generis humani diligenter adumbravit, sed etiam omnes res finitas respexit. Quum Cantius singula et individua bene exploraret, Schellingius universum et generalia penitus illustravit; quum ille omnes fidei res in ideas morales mutaret, hic contemplando eas firmare studuit; quum ille filium divinum ad ideam humanitatis moraliter perfectae revocaret, hic eundem ad finitum ipsum, i. e. ad omnes res creatas retulit. Quum ille Christum historicum magistrum et exemplum omnium praestantissimum innueret, hic eum summum manifestatorem divinum esse censuit. In eo inter se consentiunt, quod uterque non historicum, sed aeternum Christum filium divinum esse existimavit, sed in eo dissentiunt, quod Cantius filium Dei ideam

quandam, Schellingius essentiam veram esse arbitratus est. Non temere Cantii tota philosophia idealis vel subjectiva, Schellingii realis vel objectiva vocabitur. Sed necessarium est, ut altius in ejus sententiam inquiramus, atque ante omnia Dei notionem ejus investigemus.

Deus*) est esse. Quod profecto est, sese manifestat vel affirmat. Sui vero affirmatio nihil est nisi ipsum esse; alioquin non esset. Atqui sui affirmatio cognitio est. Quare Deus, qui est esse, sese cognoscit. Cui unitati nullum contrarium est admixtum, ea igitur indifferentia appellari potest. Esse et cognoscere ita sese invicem habent, quemadmodum essentia et forma; inde demum contrarium unitatis et varietatis oritur. Essentia enim, quae nihil aliud esset quam ipsa, sese non manifestaret; nam nihil haberet, ubi sibi fieret aperta; quare profecto non esset. Tum demum, quum in se ipsa aliud quid est atque in eo una, sese manifestat. Quod igitur unum est, vinculum sui ipsius et alius est. Quod aliud, quum per vinculum unius sit, neque extra id quaerendum est neque ab eo differt neque adventicium quid est; immo simul cum uno adest. Id quod unum est, in se ipso copulam sui tanquam unius et varii habet atque copula ipsa essentiae tanquam unitatis et varietatis ejus est existentia. Quae existentia deus est; divina enim unitas semper profecto fuit, sed non remota ab forma, immo cum ea conjuncta. Deus vero tanquam unum in vario sese manifestat; sed varium non est nisi per id, quod non varium, ergo unum in vario est, i. e. per vinculum unitatis et varietatis. Varium igitur non est aeternum, sed unum in vario sempiternum est; at unum tanquam unum non existit, nisi quatenus est varium. Profecto igitur neque unum per se, nec varium per se existit, sed utriusque viva copula; ea sola existentia est nuncupanda. Deus ergo copula est aeternae essentiae sub specie unius ejusdemque varii. Atque haec copula formae et essentiae regnum naturae est, in quo semper deus nascitur. Proprie ergo natura est deus, viva infiniti et finiti copula.

Quum deus aeternus sit, semper in omnibus rebus sese manifestat; sed in historia demum liber ab omni velamine apparet. Antiquitus natura hominibus fuit aperta; per christianam religionem historia manifesta est reddita; tunc infinitum in finito quaerebatur, jam finitum ad infinitum reducitur, postquam verum infinitum in finitum venit. Quamquam

*) Darlegung des wahren Verhältnisses der Naturphilosophie zur verbesserten Fichte'schen Lehre 1806 p. 50 ss.

omnia ad deum hominem factum tendunt, tamen singularis homo non est divinus filius, sed finitum ipsum ex essentia patris ipsius exortum. Unde factum est, ut Schellingius ad ejusmodi dei filium deduceretur et in eo acquiesceret? Apparet causam ejus rei in Schellingiana dei notione quaerendam esse. Si cum essentia divina necessario ejus manifestatio conjungitur, statuendum est ab aeterno deum sese revelasse et si deus nihil est nisi copula essentiae et formae, infiniti et finiti, objectivi et subjectivi, necessario sese in omnibus rebus finitis revelat, neque vero in persona singulari. Sed quid deus aliud est quam notio cogitata? Si sese affirmat in rebus finitis, inde colligi nequit, eum sibi esse apertum vel sui conscium. Si ipsa ejus apparitio in regno naturae est existentia et essentia, tum cum ea idem est atque crescit et augescit et mutatur. Vim quandam naturae universalem eum statuere poteris, neque vero spiritum sui conscium et liberum. Jam quum Deus non sit persona, sed essentia, ne filius quidem ejus persona esse potest, sed essentia quaedam sui non conscia. Si vero filius divinus finitum ipsum cogitatur, tum partim personam superat, partim ab ea superatur; multo enim plures res amplectitur, quam si persona esset, sed multo minore vita et plenitudine utitur quam persona.

Jam quaenam vis Christo historico sit ascribenda, quaeritur. In eo primum deus vere apparuit; neque enim quisquam ante eum infinitum similiter revelavit. Manifestator igitur infiniti summus habetur, sed genere ab aliis divinis testibus et vatibus non differt. Os verum Dei fuit, neque vero verbum homo factum. Sane major Christo, quam theologi solent, auctoritas tribuenda est; sed haec ipsa in aliud subjectum, nempe in aeternum dei filium transfertur. Si quaesiveris, cur id factum sit, Schellingius tibi respondebit: quia Christi historici persona plane per se est perspicua neque ulla ex parte novum quid attulit. Sed quum per eum verum infinitum in finitum translatum sit, nonne majus quid ei subest, quam quod e tempore antegresso explicari possit; quum finis sit mundi antiqui et initium regni spiritus, nonne ipse omne tempus quasi unicus excedit? Atque cur Deus in eo instar personae singularis homo non est factus? Quia deus semper extra tempus versatur. Sed si Deus copula est infiniti et finiti, si in finito sese revelat, cur excluditur ab omni tempore et spatio cum finito arcte conjunctis? Aeternitatem nobis in tempore intuendam esse alias docetur, sed cur vetatur, ne in persona historica aeternum dei filium aspiciamus? In omnibus sane rebus deum manifestum videmus, sed personae in-

star in Christo apparuit; acumen igitur Christus divinae revelationis nobis videtur esse et tanquam comprehensio omnium sigulorum solis radiorum, repercussa divina gloria. Sane miramur Schellingii historiam et progressum divinae revelationis, sed si infinitum vel aeternum eum cogitare jubemur, nescimus, quo abeat neque omnino eum comprehendere possumus. Si vero finis ei est propositus, tum ei tandem acquiescendum est. Sane si finito per ipsius vim proficiendum esset, summam perfectionem nactum terminaretur; sed quum divinitus agitetur et promoveatur, summa divina revelatio in finem differenda non fuit; immo longe prius propter mundi salutem provehendam fieri debuit. Initio vero propterea cogitari nequit, quod homo ejus nondum capax esse potuit. Quare ab initio sensim processit, semper humani generis capacitati accommodata, dum in Christo absolveretur. Abhinc nulla salus nec vita esse potest nisi per eum. Humana natura ejus capacissima rerum divinarum fuit; divina natura plenissima in eo apparuit. Ipse non solum flos generis humani est, sed acumen divini splendoris ejusque revelationis: θεάνθρωπος. Quemadmodum natura non desiit esse, postquam inde homo est factus, sic finis mundi non fuit, postquam theanthropus apparuit. Illi natura fuit subjicienda, huic genus humanum. Primum deus in natura sese revelavit, dum acquiesceret in homine, sua imagine; deinde in humano genere sese patefecit, dum in Christo acquiesceret; inde genus humanum ad deum reducitur, dum requiescat in Dei communione. Subtile profecto Schellingius discrimen inter tempus antiquum et novum exaggeravit, quum moneret, ante christianam religionem infinitum in finito esse quaesitum, abinde vero, postquam verum infinitum cum finito consociatum esset, finitum ad infinitum reduci; sed propter suum divini numinis conceptum Christi historici naturam penitus perspicere non potuit. Verum enim vero nemo erit, qui dubitet, quin a Schellingio vera theanthropi stamina sint ducta; Christus enim verum infinitum in finitum transtulit et id ipsum cum Deo placavit; ipse est caput ejus corporis, cujus membra omnes sunt reddendi per ipsius spiritum. Si eum manifesationem personalem Dei intellexisset neque vero manifestatorem duntaxat divinum, plane cum eo consentiremus.

Quis Schellingii sententia de filio divino explorata Spinosae non meminerit, qui ad salutem non esse necessarium duxit, ut quis Christum secundum carnem noscat; sed de aeterno filio dei, i. e. de aeterna ejus sapientia, quae sese in omnibus rebus et maxime in mente humana et omnium

maxime in Christo Jesu manifestavit, longe aliter sensit, neminem enim absque hac ad statum beatitudinis pervenire posse censuit, utpote quae sola doceat, quid verum et falsum, bonum et malum sit. Et quia, inquit, haec sapientia per Jesum Christum maxime manifestata fuit, ideo ipsius discipuli eandem, quatenus ab ipso ipsis fuit revelata, praedicaverunt seseque spiritu illo Christi supra reliquos gloriari posse ostenderunt. Caeterum quod quaedam ecclesiae his addunt, quod deus naturam humanam assumpserit, monui expresse me, quid dicant, nescire; immo ut verum fatear, non minus absurde mihi loqui videntur, quam si quis mihi diceret, quod circulus naturam quadrati induerit (cf. epist. XXI). Quum igitur Spinosa filium divinum aeternam dei sapientiam esse statueret, Schellingius finitum ipsum pro illo habuit; quum ille continuam dei revelationem sumeret, is quoque manifestationem ejusmodi docuit; quum ille Christum summum divinae sapientiae vatem innueret, is quoque eum summum dei manifestatorem esse statuit. Praeterea Schellingii natura, quam deum potissimum esse contendat, Spinosam redolet.

Finitum ipsum e Deo exortum secundum Schellingium aeternus Dei est filius atque Christus historicus nihil est nisi summus veri infiniti vates. Restat, ut ille filius divinus profecto existens in animum humanum unitatis suae cum deo sibi conscium transferatur. Tum Christus historicus primus est habendus, qui divinae secum unitatis fuerit conscius. Apud Cantium filius dei idea humanae perfectionis moralis fuit, apud Schellingium finitum ipsum vel continua divina apparitio. Jam Fichtius eum divinam in humana mente perceptam existentiam esse statuit. Sed ipsius sententiam*) describamus.

Creationem sumere summus est error. Absolutam unitatem et immutabilitatem essentiae divinae agnoscere coacti, sed libertatem et veram rerum finitarum existentiam negare inviti easdem arbitrarie ex illa prodire statuerunt. Unde et notio essentiae divinae periit et ratio prorsus perversa et cogitandi natura deleta est; neque enim creatio cogitari potest neque quisquam profecto eam unquam cogitavit. Creationem igitur negare summa est veritas. Cum christiana religio tum Joannes evangelista eam abjecerunt tanquam Judaeorum errorem. Joannes perinde asserit: Initio i. e. ante omne tempus Deus non creavit, sed λόγος erat et inde demum omnia sunt facta. λόγος proprie rationem vel sapientiam denotat; sed verbi significatus videtur praeferendus esse. Quidnam verbum sit,

*) Anweisung zum seligen Leben, 1806. 6. Vorlesung.

inde apparet, quae Joannes de eo praedicat. Initio erat; apud deum erat; deus ipse erat; initio apud deum erat. Quum igitur deus praeter essentiam suam absconditam, quam cogitare possumus, insuper existat, quod experientia sola edocti comprehendere possumus, per absolutam suam essentiam necessario existit atque existentia, per nos tantum ab ejus essentia diremta, per se ab ea non est disjuncta, sed ante omne tempus cum eadem arctissime conjuncta. Ex deo ergo nihil fit nec oritur; immo quum sola essentia in eo reperiatur, omnia, quae fieri debent, ab initio ipse esse debet. Illud apud deum esse vel existere quum verbum vocetur, sibi ipsi perspicua manifestatio divina est vel dei existentia necessario conscientia tum sui ipsius tum dei est. Per se apparet omnes res per idem verbum esse factas. Quae sententia idem valet, ac si affirmamus, omnes res in notione sola vel comprehensas existere — tanquam dei enuntiationem sui ipsius — et conceptu seu verbo solo cum mundum tum varias et infinitas mundi res esse creata. Joannea ergo sententia haec est. Pariter atque dei essentia, existentia ejus primaria est; haec ab illa segregari nequit atque illi est similis. Quae divina existentia scientia est atque scientia sola mundus omnesque mundi res profecto sunt effecta. Jam existentia divina vita erat, i. e. fons altissimus omnis vivae et substantialis, sed absconditae existentiae atque haec vita sola instar lucis aeternae in tenebris splendebat easque clam ferebat et servabat non comprehensa. Hucusque introitus evangelii Joannei veritatem absolutam exhibet; abhinc illa historica neque vero metaphysica sententia profertur, absolutam existentiam divinam pure et sincere, nulla admixta caligine neque determinatione, in eo Jesu Nazareno, qui certo temporis spatio in Judaea doceret, sub humana specie apparuisse atque carnem esse factam. Ratio vero discriminis et consensionis utriusque sententiae haec est. Omnibus temporibus in iis, qui unitatem suam cum deo clare perspiciunt et totam suam vitam divinae ipsorum dedunt, aeternum verbum eodem modo atque in Jesu Christo caro fit. Quam veritatem neque Joannes neque Jesus negant, immo corroborant. Christianorum vero sententia viam, qua illud efficiatur, respicit indeque docetur, in Jesu Nazareno per se aeternum verbum apparuisse, quemadmodum ante eum in nemine, in omnibus vero, qui ejus discipuli fiant, propterea nondum apparuisse, quod eo etiam indigeant, sed per eum demum esse appariturum. Quod dogma ad homines in rebus divinis educandos pertinet. Quamvis Joannes praeterea Jesum salvatorem promissum esse intelligeret,

tamen eum ante omnia verbum carnem factum sumsit, admixtis sane somniis Judaeis de filio Davidis et foederis veteris abrogatore novique institutore. Cum ubique tum apud Joannem primogenitus et unicus filius est patris, neutiquam emanatuus vel tale quid, sed ab aeterno cum eo unitus eique aequalis. Omnes vero per eum demum in ejusque essentiam transmutati filii dei fieri possunt. Quae agnoscenda sunt, si quis christianam religionem recte interpretari vult. Atque ut ipsi ejusmodi sententiam nobis applicare nolimus, recte tamen dijudicanda est. Memoranda perinde haecce videntur esse: a. Unitate absoluta vitae humanae cum divina nihil altius cogitari potest. Quae cognitio ante Jesum nusquam reperta est; abhinc usque ad hunc diem paene evanuit. Sed quomodo Jesus eam acquisivit? Non est mirum, si quis veritatem jam inventam recipit; sed quemadmodum primus, qui eam fovebat, eo pervenerit, nescimus. Quare Jesus Nazarenus prae omnibus unigenitus filius divinus est et in omne tempus erit. b. Quamvis unusquisque in libris apostolorum hanc doctrinam reperire queat atque philosophus ab religione christiana segregatus eandem inventam tam clare perspiciat, quam illinc nobis non sit tradita, tamen omnes disceptationes philosophicae inde prodierunt, quippe quum eruditio nostra multifariam indidem pendeat neque sine ea ad tantum veritatis fastigium eveheremur. Quapropter quicunque e Christi aetate cum Deo conjuncti sunt, iidem per eum solum eo pervenerunt. Quin etiam usque ad supremum diem omnes sapientes coram Jesu Nazareno genua sua flectent et quo magis animo sunt submisso, eo magis gloriam eximiam ejus agnoscent. Haec ad sententiam christianam contra falsum et inaequum judicium tuendam sufficiant. Sed eadem nemini est impertienda, qui neque illam partem historicam animadverterit nec, quae ibi invenire nobis videamur, invenerit; neque enim cum iis faciundum esse putamus, quibus res quaedam propter solum nomen placeat. Non historicis rebus, sed solis metaphysicis beati reddimur; illinc solus intellectus augescit. Si quis profecto cum Deo est conjunctus, nihil refert, qua ratione eo pervenerit; tantum enim abest, ut memoriam viae repetere prosit, ut contra, si quis rem ipsam consequi studeat, noceat. Atque Jesus ipse si in mundum posset redire, animis humanis religione christiana bene infixa plane esset contentus neque quaereret, utrum ipsius meritum celebraretur necne. Jure enim persuasum habemus, eum, qui per vitam suam solius dei gloriam petierit, numquam suimet ipsius honorem quaesiturum esse.

Quae praeterea de Christi persona apud Fichtium exstant, in eo versantur, quod ex evangelio Joanneo explicatur, quae ratio inter eum et deum, inter discipulos et magistrum, inter illos et deum intercedat; sed ea ideo omittenda esse censuimus, quod per se ex antegressis sequuntur.

Fichtium initio deum ordinem moralem esse statuisse satis constat. Jam propter suam de deo sententiam magnopere vexatus et vituperatus deum essentiam absolutam vel vitam veram esse cognovit, extra quam nulla essentia neque vita reperiretur. Sed haec essentia divina secundum Fichtium non est abscondita, immo manifesta; in animo enim humano fit aperta et sui conscia (cf. scholam IV. l. antea c. p. 80. 83. 96). Qua in sui conscientia deus vere existit atque in hominibus ipsius sibi consciis profecto agit; proprie enim divinum esse et existere idem est neque unquam nisi mente humana vel cogitatione divellitur. Per deum et in eo solo sumus, quod sumus et vivimus; sed absolutum divinum esse in nobis non est, immo certa quaedam ejus forma; humana enim dei conscientia divinam essentiam tantum refert. Vinculum vero utriusque est amor. Qui quum divinus sit, proprie si nos eum amamus, deus ipse sese amat (cf. schol. X). Essentiam absolutam non aliter existere quam sub forma sui conscientiae jam Brunonem statuisse Schellingius monuit.*) Simul vero ex ipsius doctrina nonnulla in Fichtianam philosophiam transiisse ostendit**). Sic esse nihil aliud est ac Schellingii copula sui ipsius cognitionis; scire vero eadem copula instar formae cogitata. Sed quaeritur, quid illud scire sibi velit. Si Fichtius scire absolutam essentiam sibi fingere affirmat, cujus imago vel cogitatio ipsum sit, tum imago proprie hujus essentiae fit neque aliud quid est quam animi cogitatio, neutiquam aeterna divinae essentiae forma vel λόγος. Scire igitur non universa divina sui affirmatio vel manifestatio est, cujus scientia humana certus sit modus, sed finibus quibusdam est circumscriptum; ipsi enim dei nobis conscii divina sumus existentia. Inde sane sequitur, ut solum genus humanum existat.***) Sed si Sch. scire describit sese affirmare vel manifestare, id aliter percipit quam Fichtius. Ille late eam notionem sumit, hic stricte eandem intellectam vult. Sane in omnibus rebus deus manifestus est atque in solo

---

*) Darlegung des Verhältnisses der Naturphilosophie zur verbesserten Fichte'schen Lehre, p. 70 ss.

**) p. 52. 80 l. c.

***) l. c. p. 72 s.

homine scitur. Quamvis in omnibus rebus finitis sese aperiat, tamen in solo animo humano sui fit conscius. At quaeritur, utrum omnino finito indigeat, ut sese cognoscatet existat necne, utrum in animo humano tantum sibi fiat apertus an extra eum quoque sui sit conscius. Si in finito solo existit, tum id ipsum majoris est pretii deo; nam extra idem non esset sibi perspicuus neque sese apprehenderet. Si in sola humana ratione sui est conscius neque vero ibi duntaxat sese revelat, tum minor est homine sui conscio; neque enim existeret nisi ab homine cognitus vel perceptus neque ipse quidquam de nobis sciret, sed tantum sciretur a nobis. Quum Cantius, qualis deus per se sit, rationi et cognitioni nostrae inaccessum affirmet et Schellingius solam aeternam dei essentiam nos intueri statuat, Fichtius quamvis essentiam divinam sola animi humana conscientia prorsus exaequari contendat, tamen nihil nisi animi sui de deo ideam profecto describit. Sed omnes cognitionis humanae fines evadit, si praeter scientiam humanam nihil profecto esse asseverat. Quid mirum, quod mundus ei prorsus mortuus videtur esse humana mente non apprehensus? Quin etiam ne deus quidem existit nisi scitus ab homine. Humano igitur animo nihil majus cogitari potest, quippe quum ei soli omnia non modo sint aperta, sed etiam in eo demum omnia vitam et existentiam consequantur. Proprie ergo deus non est absolutus, sed animus humanus dei sibi conscius. Unde factum est, ut F. neque naturam neque omnino res factas perspiceret neque de divina notione recte sentiret. Sch. et F. in eo differunt, quod ille existentiam divinam in omnibus rebus finitis subesse iisque effici censet, hic eandem ad animum humanum ejusque dei ideam revocat. Cujus rei causa in eo videtur posita esse, quod ille existentiam divinam Dei affirmationem sui esse statuit, hic sui conscientiam. Neuter vero usque ad personalitatem divinam sese extulit. Sane infinitum et finitum amore contineri uterque*) docuit, sed neuter amoris naturam satis perspexit. Quum Sch. aeternum vinculum divinae revelationis, quo infinitum fiat finitum et invicem hoc in illud transeat, miraculum omnium miraculorum, nempe amoris essentialis vel vigoris et veritatis vitae divinae appellaret, F. copulam formae humanae cum essentia absoluta sensum vel amorem vocavit, i. e. sui ipsius amorem sub specie sensus perceptum. Illi amor vera vitadivina est (essentialis); huic sensus quidam unitatis dei et hominis (idealis). Deus ergo amoris vinculo continetur. Atque si nos

*) Schellingius, p. 60. l. c. Fichtius, p. 285 l. c.

eum amamus, proprie ipse sese amat. Sed deest amoris ethica notio: inde solum divina personalitas sequitur; nam ethico solo amore persona cum persona consociatur. Amoris natura recte intellecta non solum deum personam esse cognoscemus, sed etiam ad verum dei amoris objectum, nempe ad filium divinum traducemur. Sed ea persequi nostrum esse nequit, immo Fichtii doctrina nobis est dijudicanda.

Quid F. de filio divino censuerit, dubium sane non est. Si ea ratio, qua homo dei sibi est conscius, forma hujus existentiae est, tum filius divinus nil nisi humana dei conscientia vel intellectus cogitari potest. Atque is profecto filium divinum aemulabitur, qui non solum unitatem vel indentitatem (cf. l. c. appendicem) Dei secum penitus cognoverit, sed vitam suam totam profecto Deo dicaverit. Cantius ideam perfectionis moralis filium dei vocavit, sed singulos perfecto eum aequare negavit; Schellingius eum finitum, quo deus sese affirmat, appellavit, sed genus humanum ei respondere infitiatus est; Fichtius non solum eum carnem esse factum concessit, sed unumquemque hominem, simulatque consortium suum cum deo vere cognoverit, filium divinum fieri posse statuit. Sed quo infirmior et tenuior filius dei cogitatur, eo facilius ejus conditio hominibus est assequenda. Utrum vero homo veram vitam divinam consequendi vi exstructus sit necne, F. non quaesivit, nedum probaret, immo luculentissime humanam indolem et virtutem laudavit. Quae omnia cum evangelio Joanneo omni ex parte concinere censet. Quare ante omnia interpretatio ejus nobis erit perscrutanda.

Quum Cantii usum scripturae sacrae refellere haud operae pretium esse censeremus propterea, quod ipse confessus est, sese tantum locos bibliorum adhibere neque vero interpretari velle, Fichtii usus evangelii Joannei ideo non praetereundus videtur esse, quod veram ejus mentem investigare sese velle professus est (cf. p. 157 l. c.). Scriptores enim sacros ita percipere studet, quasi profecto aliquid veri dicere animum induxerint, plane eorum interpretandi methodo improbata, qui scripturae sententias solas figuras sumant. Omnem igitur scripturam sui ipsius esse interpretem recte agnoscit. Sed quidquam se e sacris scriptoribus ad probandam nec firmandam suam doctrinam depromere velle negat; immo ejus solum interest, ut eos secum consentire demonstret; veritatem enim utrimque per ipsius vim patere arbitratur (p. 154. 155). Cur Joannem potissimum sequeretur, in dubio sane non collocavit; is enim solus rationem respicere videtur allatis numquam non documentis internis, quum alii

ad miracula ab Christo perpetrata provocent; praeterea religionis veram doctrinam exhibet, quum alii sententias morales proferant. Jam inter Joanneas doctrinas aeternas et historicas diligenter discernendum esse monet. Sic introitus Joanneus inprimis dignus est, qui exploretur; ibi enim Joannes explicat, cur Jesus ita de se loqui potuerit, quemadmodum locutus est. Jam dubium esse nequit, quin Jesum profecto similiter de se cogitasse acceptum voluerit. Eadem igitur cum ipsis orationibus auctoritas praefationi tribuenda est. Sed si F. ab Joanne creationem veteris testamenti negatam et impugnatam esse censet, errat; nam ipse Joannes omnia per λόγον effecta esse docet (cf. v. 3), creationem igitur omnino non removet, sed tantum causam et medium ejus aeternum indicat, quum per λόγον omnia exorta esse asserit. Atque manifestum est, Joannem ostendere voluisse, eundem λόγον, qui causa rerum omnium sempiterna esset, jam hominem vel carnem esse factum (cf. v. 14) atque quum propter homines salvandos homo sit factus, Joannis intererat, ut creationis et redemptionis eundem λόγον esse auctorem probaret vel creationem et redemptionem arctissime inter se cohaerere. λόγον sane F. recte intellexit verbum esse, sed false ad doctrinam suam revocavit. Verbum enim notione existentiae divinae sumsit. Jam si deus non existit nisi in animo humano dei conscio, nimirum cum homine existere coepit. Etiamsi quis hominem non esse creatum, sed paullatim exortum contendit, tamen sui et dei sibi conscium ab initio eum fuisse asserere non audebit; unde sequitur, ut deus, simulatque homo ejus sibi conscius sit factus, existere inceperit. Quae doctrina ab Joanneo evangelio saltem prorsus abhorret (cf. v. 1). Si vero deus remotus ab genere humano per se existit, tum ejus essentia neque augetur nec minuitur, seu ab hominibus scitur seu nescitur, pariter atque idea dei animo humano informata non crescit probata divina extra hominem existentia; idea enim dei et deus ipse plane inter se differunt. Similiter quae F. de vita et luce verbi exaravit, ab Joanne aliena sunt; nam si cum omnes res nonnisi comprehensas existere tum verbum vel notionem solam mundi creatricem esse docet atque in homine solo sui consciam dei essentiam fieri affirmat, non solum omnes res per se mortuas esse statuit et sola notione vel conceptu vivas effici, sed etiam lucem Joanneam prorsus mutavit. Notione vero sola nulla res, nisi per se viguerit, viva reddetur, neque φῶς Joanneum est effectus quidam, sed causa, unde lux hominibus redundet, i. e. cognitio veritatis, neque vero status dei conscius (cf. v. 5. 8. 9).

Videmus Fichtium non solum mundum, sed etiam evangelium Joanneum per suam philosophiam intueri.

Sed jam quae ratio inter filium divinum et Christum historicum intercedat quaeritur. Proprie dei humanis mentibus infixa praesentia aeternus λόγος divinus est; sed quicunque unitate sua cum deo percepta vitam suam deo profecto dedit, in eo aeternum dei verbum caro fit. Quare filius divinus non unus est censendus, immo permulti eum aequant vel multi sunt filii divini. Quae est veritas metaphysica ideoque in omne tempus valet. Quapropter si religio christiana aeternum dei verbum vel existentiam per Jesum Nazarenum solum repraesentari asserit, aliud quid innuit; nam tum ei, quod nulli alii convenit, tribuitur atque quemquam aliter quam per eum ad unitatem cum deo pervenire posse negatur. Historica igitur de Jesu sententia ibi prolata videtur esse atque ipse eum haberi, per quem unusquisque, mutatus in ejus essentiam, filius dei reddi queat. Quum igitur philosophus rationem metaphysicam quaerens veritatem ipsam reperiat, christiana religio viam veritatis ostendit. Ante Jesum nemo profecto unitatem suam absolutam cum deo perspexit, quare primogenitus est filius divinus. Atque quamvis philosophi extra religionem christianam easdem cum ea veritates inveniant atque multo clarius percipiant, tamen magnopere promoti et nutriti inde prodierunt. Quare per Jesum solum omnes ad deum semper pervenient. Postquam igitur semel unitas hominis cum Deo per Jesum est patefacta, omnes ad eandem cum eo dignitatem ascendere possunt. Primus ergo Christus est inter pares; gradu, non genere ab aliis distat. Atque philosophus quum eandem quam Christus veritatem multo etiam clarius accipiat, longe eum superat neque omnino eo ad unitatem suam cum deo cognoscendam indiget. Etiamsi igitur Christus non fuisset, tamen philosophi eodem pervenissent. Quomodo id cum ea sententia concinat, nos undique ab christiana religione pendere nescimus; nisi enim fallimur, solum inde adjuti et illustrati idem reperire possumus atque erramus, si per ipsorum rationem ad idem cognitionis fastigium evecti nobis videmur. Quibuscunque laudibus Christum F. extollit, quum absuluta eum ratione, neque ratiocinatione neque traditione, immo intuitione religiosa conjuntionem suam cum Deo cognovisse ostendit (cf. appendicem l. c.), tamen omnia ei videtur tribuisse, ut eo majore is gloria exornaretur, qui philosophando eandem veritatem indagavisset. Multo etiam magis offendimur, quum legamus eadem, quae modo veritatis instar prolata sint de eximia

Christi dignitate, in solam opinionem nemini impertiendam diffluere. Docemur enim cognitione sola absolutae cum deo indentitatis unumquemqne beatum reddi rebus illis historicis duntaxat scientiam nostram augeri; neque enim quidquam refert, qua quis via ad unitatem cum deo sese tollat, dummodo profecto cum deo conjungatur, atque prorsus inutile videtur esse, memoriam solius viae semper celebrare. At si per Christum solum ad deum deducimur, tum flocci non est habendum, qua quis via cum Deo conjungatur; nam profecto una id fieri potest via. In tantam sententiarum repugnantiam F. sane conjectus non esset, si discrimen inter suam de Christo sententiam et christianam doctrinam rectius perpendisset; nihil enim magis nocet quam conjunctio rerum inter se contrariarum. Sed per se profecto apparet, nihil interesse, qua quis ratione ad Fichtii cum deo unitatem evehatur; neque enim quidquam requiritur, nisi ut vitam suam deo in ipso habitanti tribuat. Id vero F. exposcit, neque probat, utrum quis facultate ejus rei adipiscendae sit praeditus necne. Postremum si vetamur, ne exquiramus, unde tam augusta quam Christi persona prodierit, quum neque Jesus ipse neque Joannes de ea re philosophati sint (p. 344), ipse sibi repugnat, quippe qui Joannem de ea re cogitasse ipse doceat (159), quum praefationem ejus in eo versari contendat, cur Jesus ita de se cogitare potuerit, quam faceret; praeterea vero profecto Joannes originem filii divini aeternam describere studuit, si in eo solo λόγον aeternum habitasse ostendit. Nusquam vero in quoquam, qui cum Deo conjungatur, eundem λόγον carnem effici probat.

Quamvis ad salutem nequaquam necessarium esse arbitremur, ut Jesus Nazareni originem et naturam penitus perspiciamus, tamen quo veritatis studio sumus impleti, non possumus, quin altius in mysterium ejus personae inquirere studeamus. Non prius igitur acquiescendum esse censemus, quam aenigma vitae ejus fuerit solutum. Utrum unquam eo perventuri simus, ut omnis caligo oculis nostris adimatur necne, nescimus. Sed id persuasum habemus, Straussium iis, quae in vita sua Jesus (vol. II, § 151) protulit, difficultatem filii divini non solvisse, sed tantum distulisse. Contendit enim si idea unitatis divinae et humanae naturae profecto sit, id non significare, eam in uno individuo semel apparuisse, quum ideae copia in unam speciem nunquam effundatur, immo in varietate specierum, quae sese invicem exipiant et tollant, habitare soleat. Unde colligit, quae ecclesia Christo tribuat, de genere humano sub specie aeternitatis cogitato valere

neque ad individuum quoddam pertinere. Quam sententiam e Cantii, Schellingii, Fichtii sententia de filio divino exortam et com mixtam esse per se manifestum est. Idea unitatis divinae et humanae naturae Schellingii necnon Fichtii philosophiam redolet. Tum ideam illam non in unam speciem effundi omnes tres affirmarunt. sed in genere humano habitare Cantius et Fichtius statuerunt, quum Schellingius eam in toto finito apparere censeret. Neque cum iis fecerimus, qui censeant, aut ad doctrinam veteris dogmaticae de filio divino aut ad philosophorum aeternam ideam ejusdem nobis esse confugiendum. Persuasum enim habemus, e personalitate humana perveniri ad divinam personam atque ab humano amore ad divinum amorem, inde vero ad aeternum dei filium carnem factum.

Ex typographia Oswaldi Mutze.

